

HENR. STEPHANVS
LECTORIS

Quum variae, quibus distineor, occupationes e medio studiorum cursu me reuocassent: nec quod illis eripere tempus poteram, ad seria tractanda satis esset: interim quod dabatur, accipiens, eas Anacreontis Odas, quas iam ante Gallicas feceram, in aliquot amicorum gratiam Latine quoque aggressus sum vertere. Iam vero extrema manu operi imposta, quum eo rem deductam viderem, ut quae meis intimis dicaueram, cum externis etiam communicanda forent: quo plures huius mei laboris futuri essent participes, eo maiorem cautionem et diligentiam adhibendam mihi existimaui. Feci itaque non inuitus, ut quae vertendo hoc Poëta, tanquam aliud agens, obseruaram, ea in Commentariolum redigerem: quo tum meae interpretationis alicubi rationem tibi redderem: tum etiam in locis difficilibus labore meo tuum aliqua ex parte subleuarem. Vale: si quid nouisti rectius istis, Candidus imperti: si non, his utere mecum.

